



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 115. Fœderatorum conspiratio in Henricum III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI.

A. C. 1587.

§. CXV.

Fœderatorum conspiratio in Henricum III.

Thuan. l. 86. Interea Fœderatorum numerus in Gallis plurimum indies augebatur, præcipue vero eorum factio Parisiis cum majori insolentia tumultuabatur: ibidem enim apertæ adversus Regem criminationes audiebantur, quippe passim divulgatum, quod secreta cum Navarræ Rege consilia agitare, & clam Calvinistis faveret, unde ex seditiosis hisce rumoribus tandem ad conspirationem adversus Regem deventum est: porro hæc inter hujus conjurationis Auctores erant conventa. I. Conjurati magis munita Parisinæ Urbis loca, & præcipue Bastillam arcem occupent. II. Harleyus primus Præses, & Spessæus Generalis Advocatus, pluresque alii fideles Regis famuli jugulentur. III. Novus erigatur Senatus nonnisi ex fœderatis constans. IV. Urbis Prætorium munimentis firmetur, moxque Luparæ Palatium quatuor Sclopetariorum milibus invadatur. V. Si hisce consiliis prosper alluderet successus, tunc Maduanus Dux, qui ex Aquitania debellatis Protestantibus victor, ac triumphator reversus cum suis copiis prope Parisios in oppido sancti Dionysii subfiterat,

*Maimburg
hist. de la
Lig. l. 1.
pag. 109.*

stiterat, conjuratorum Princeps nominetur. Verum Rex cuncta istorum consilia ex indicio Nicolai Polinii, qui Infulani Prætoris Vicarius erat, per Chivernium Cancellarium edoctus copias undique cogit, omnesque portas stationibus firmat, hacque sua diligentia conjuratorum molimina successu suo destituit, Ducem vero Maduanum, qui Parisios venerat, ad tantam animi anxietatem redigit, ut clandestina fuga ex urbe excederet.

§. CXVI.

*Bucagius Comes Aula relicta Capuc-
cinorum institutum professus.*

Sub idem tempus Bucagius Comes Josephæ Ducis Frater, & Guilielmi II. Josephæ Ducis Filius præmatura uxoris suæ morte commotus Aulam reliquit; quippe austeram vitæ rationem, quam pia ejus conjux duxerat, imitaturus totum se Deo consecrare statuit, atque in medio blandientis fortunæ stadio, spreta nobilitatis gloria, necnon temptis victoriarum præmiis, quæ sibi armis parta polliceri poterat, ad Patrum Cappuccinorum cœnobium, quin prius animi sui propositum Regi manifestaret, secessit, ibique sacrum habitum induit, deinceps Pater Angelus nominatus: exinde vero tota aula tantopere confusa,

Sæcul. XVI.
A.C. 1587.

*Vie du P.
Ange par
M. Callieres
Thuan. l. 87.
Mezer. ab-
reg. Chron.
t. 3. p. 329.*